



**Illustrissimi Marchionis Scipionis Maffei Historia
Theologica Dogmatum Et Opinionum De Divina Gratia,
Libero Arbitrio Et Prædestinatione**

Maffei, Scipione

Francofurti ad Mœnum & Moguntiae, 1756

Interpres Lectori.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95061](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95061)



INTERPRES LECTORI.

QUÆ eruditorum per Italiam universam bibliothecas jam dudum occupavit, quæ bonis omnibus placuit, atque ipsa etiam in Urbe rei Dogmaticæ Candidatis non semel in Scholis commendata fuit, nostro nunc quoque sub Cælo prodit Historia. Authorem habet illa, ut vides, Clarissimum virum, SCRIPTIONEM MAFFEJUM; cujus quanta in rempublicam literariam extent merita, solus ille ignorare poterit, qui, quæ per Italiam, Galliam, Germaniamque nostram circumferuntur literatorum ephemerides, nunquam pervolvit. Quæ si etiam omnes de viri hujus celeberrimi laudibus conticescerent, loquerentur illas abunde tot per orbem à MAFFEJO vulgata volumina; tot doctorum hominum de ipso testimonia; erecta ipsi aliquando Veronæ ab Academicis statua; tot ibidem instaurata, pulverique simul, & oblivioni subtracta monumenta. Is itaque tantus, ac talis Vir, qui omne suum otium in studiis præclarissimis contrivit, non amplum satis laborum suorum fructum referre sibi visus est; nisi, quam dudum in re Antiquariâ, Historicâ, & Philologicâ, eandem nunc pariter in Dogmatica experiretur fortunam; supremas fortasse studio huic curas reservans, quod poscere videretur maturiores. Quâ tamen in re vidit facile, nihil à se præstari posse utilius, quam si Jansenianos errores post tot acceptas clades identidem ubique repullulantes novo iterum ictu ceu hydram renascentem elideret. Præcipuè, cùm videret, eò jamtum invaluisse hanc pestem, ut, quæ primùm solis ferè Galliæ, ac Belgii obsepta finibus concludebatur, in ipsam modò Italiam sese incipiat effundere. Quare sepositis tantisper curis reliquis, eò omnia consilia operamque convertit, ut planam atque dilucidam texeret historiam eorum dogmatum, quæ primis quinque Æræ Christianæ Sæculis in Ecclesiâ viguere; ut vel nudâ ita proposita veritate multi de fraude commonerentur, adverterentque quàm longo intervallo ipsorum opinionationes à Patrum Sanctorum dogmatis diffideant. Habet enim plana, atque explicata rerum, ut gesta sunt, expositio majorem sæpe in hominum animos vim, ac potestatem, quàm multa, eaque ingeniosè excogitata disceptantium argumenta; quibus dum intemperanter abutuntur nonnulli, evenire non raro solet, ut, quod ait Publius, (a) *nimium altercando veritatem amittant*. Ac-

(a) Publ. Syrus, m. pag. 112. *Nimium altercando veritas amittitur*; hoc est, ut vertit Jos. Scaliger: ἐν ἀψιμαχίαις ἡ ἀληθεία ἀναιρεῖται.

cedebat, ut, quibuscum signa collaturus erat, ex eorum essent hominum genere, qui Scholasticorum lucubrationes passim nē legunt quidem, contentiosisque disputationibus efferari magis solent, quā ad veritatem inflecti. Quapropter & malo medicinam attemperatam oportuit; erāntque iisdem illi ē fontibus revincendi erroris, unde contra nos promunt argumenta. Hoc porro quā feliciter à Clarissimo Authore nostro præstitum fuerit, meum non est hoc loco fusius commemorare. Prædicāunt id satis cū privatæ, quæ apud Authorem sepultæ jacent, eruditissimorum virorum literæ; tū publica etiam, quæ Operi præfiximus Theologorum testimonia. Profectò omnium instar elogiorum est, quod Eminentissimus Fleurius MAFFEJO lectâ ejus historiâ rescipit: (b) *Adverto, scribebat Purpuratus Princeps, adverto satis, Vir Clarissime! ex vasto Operis tui ambitu, cujus ideam mecum communicasti, nihil fugere ingenii tui perspicaciam; nec minus te callere Theologorum dogmata, quā quidquid spectat ad rem literariam, & antiquariam. Consilium enim verò tuum & optimum est, & sapientissimum &c.*

Hæc porro dotes dum in ipso omnes alii suspiciunt, solus se ignorare visus est MAFFEJUS. Suo enim in re adeò criticâ, atque implexâ planè diffidens ingenio ex alienâ sententiâ loqui maluit quā suâ; eum ubique in interpretandis Scripturæ locis secutus interpretem, cujus autoritatem non modò respuit nemo, sed omnes potiùs venerabundi suspiciunt. Explicat porro tibi perpetuâ ac ritè coordinatâ serie, quidquid circa Ecclesiæ, Apostolorum, ac Patrum dogma in subjectâ materiâ possis requirere; memor abs dubio illius, quod præcipit Lateranense sub Leone X. Act. II. nimirum: *ut, qui Evangelicam veritatem populum docturi sunt, Sanctam Scripturam juxta interpretationem Doctorum, quos Ecclesia, vel usus diuturnus approbavit, explanent. Nec quicquam eis proprio sensu contrarium, aut dissonum adjiciant: sed illis semper insistant, quæ à præfatorum Doctorum interpretationibus non discordant.* Congessit magno studio & delectu, quidquid in sanctis Patribus hæc illac dispersum diu frustra inquiras; adeò, ut Lectori nil ampliùs modò reliquum sit, quā ut pleno hoc rei dogmaticæ aspectu, tanquam pulcherrimo sese spectaculo oblectet. Habet insuper Author Cl. id præ ceteris peculiare sibi ac proprium, ut neutri se Scholæ mancipio dederit, neque in ullius, si dogma exceperis, verba juret, vel sententiam. Reliquit ille Scholis, quæ ad ipsarum forum pertinent, ventilanda, ac quoad vo-

(b) *Je vois Monsieur par la vaste étendue du projet, dont vous m'avez communiqué le plan, que rien n'échappe à vos connoissance, & que vous ne possédez pas moins les matieres Theologiques, que tout ce qui regarde les belles lettres, & le goût de l'antiquité. Rien n'est plus sage, ni mieux pensé, que votre dessein &c.*

lent, excutienda; nil aliud toto hoc Opere spectans, quàm ut planâ, perspicuâque narratione homini cuius manifestum faciat, quàm turpem à communi Ecclesiæ & Patrum sensu Novatores fecerint discessionem; quo solo demonstrato universam ipsorum molem everti necesse est, ac collabescere. Ego sanè quantam ex hoc Opere ceperim voluptatem, utilitatēque non satis queam verbis explicare. Didici ex eo primùm, quàm verè quondam scripserit Thomassinus, (a) cùm agebat: *Ita mihi concordare visi sunt tum SS. Patres, græci, latinique, tum antiquissimi Scholæ Theologicæ Antistites in omnibus, quæ ad gratiam Christi pertinent, gravissimis questionibus, ut non vana hâc jam diu spe me oblectem, fore, ut eorum omnium consentientem doctrinam brevibus his Commentariis complecterer*; didici, quàm gravi in errore versentur ii, qui truncatis nescio quibus sententiis delusi falsò persuadent sibi, totum à se stare Augustinum, totam secum facere antiquitatem Christianam. Dolui hanc ipsam ob rem, eo præclarissimum Opus hoc conscriptum esse idiomate, cujus notitia vix ultra Alpes pertingeret. Credebam sanè non malè meritum de re Christiana, qui id aut gallicè redderet, aut latinè; propterea quòd binis hisce linguis latius modò, quàm Itala est, per orbem diffusis, libri hujus fructus ad Belgas quoque & Gallos, quorum maximè id interest, dimanaret. Quod dum mente agito, intelligo gallicæ quidem versioni immortuum fuisse virum insignem; latinæ autem hactenus, quod quidem constat, manum admovisse neminem. Quo audito succendi non leviter mihi sensi animum, ut, tametsi non omnibus, quibus par erat, ad hujusmodi versionem adminiculis instructus, hanc tamen mihi spartam fumerem; spe fretus, aut hoc conatu excitandos alios, qui, quod meæ deest lucubrationi, benignè suppleant, aut, cùm me errore quodam graviore per imprudentiam lapsum deprehenderint, amicè hâc de re commoneant; qui tamen errores, qualescunque demum fuerint, ejusmodi, opinor, non erunt, ut, quam in erudito hoc Opere cum pluribus nationibus communicando laudem promereor, mihi unquam eripiant.

DE stylo nil opus est hic monere; qualis enim ille sit, in cuiusvis faciliè oculos incurrit. Barbaro planè atque inculto uti non libuit, nè ab elegantissimo Historiæ autographo nimis diffideret interpretatio. Tullianum tamen adhibere ubique nec placuit, nec si placuisset, integrum erat. Occurrunt nimirum sacro hoc in argumento ejusmodi sæpe voces, & genera loquendi, quæ tametsi antiquo Latio incognita, longo tamen Patrum usu consecrata, atque apud Theologos civitate quasi donata videantur; à quibus si discesseris, aut obscurus fias necesse est, aut, quod pejus, de doctrinâ minùs sanâ suspectus. Præeuntes hâc in re secuti

sumus Petavios, Thomaffinos, Canos, aliósque Viros insignes, imò ipsum etiam Tullium, qui lib. 3. de Finibus, & verbis, & exemplo suo docet: *in omni arte, cujus usus vulgaris, communisque non sit, multam novitatem nominum esse, cum constituentur earum rerum vocabula, quæ in quâque arte versentur*; ideóque monet imponenda esse nova novis rebus nomina. Caterùm, etsi in versione id potissimum dederimus operam, ut fidam, atque accuratam exhiberemus: quandoque tamen religioni nobis non duximus, aut addere quasdam voculas, aut longiori etiam cum res postulabat, breviorive ambitu Authoris circumscribere sententiam; aliquo certè linguæ latinæ ornatu, nullâ veritatis, aut sensûs jacturâ. Præcepit id jam pridem Horatius, (a) cum cecinit: *Nec verbum verbo curabit reddere fides interpret.* Quem etiam secutus fuit Cicero, de se ipso scribens: (b) *Equidem soleo etiam, quod uno Græci, si aliter non possum, idem pluribus verbis exponere... Non enim exprimi verbum è verbo necesse erit, ut interpretes indiferti solent, cum sit verbum, quod idem declaret magis minusve usitatum.* Secutus eundem est D. Hieronymus, cum ait: (c) *boni interpretis esse, ut non verba verbis quasi paria & demensa respondeant, sed sensus sensui; eamque ob causam, (d) sensuum potiùs veritatem, quam verborum se ordinem conservasse.* Quàm necessarium hoc nobis fuerit, intelliget facilè prudens Lector, si vel novem primos versus sequentis proemii cum Italico contulerit. In Græcis porro interpretandis ab Authoris explicatione vix unquam discessimus, nisi cum vox latina occurreret, quæ cum Græco aptius consonare videbatur, quàm italica. Quandoque etiam, quod in Græco dicebatur brevius, longiori nonnihil paraphrasi Authoris nostri, aliorumque exemplo maluimus explicare. Quâ in re siquid peccatum est, supplebit id abunde textus græcus perpetuò ad calcem adscriptus. Adjecimus demum historiæ huic omnes Cl. Authoris apologias, quibus Opus suum contra obtrectatores vindicare hætenus necesse habuit; ad quas hâc primùm editione accessit Dissertatio aliqua nostra de Divinâ Gratiâ alios quidem olim in usus parata, modò tamen Lectori, ut opinamur, non futura inutilis. Caterùm siquid elaboratum minus, atque indigestum in versione hâc nostrâ occurreret, id festinationi omnino tribuendum erit; cujus tamen causas & Authori & nobis cognitæ esse sufficiet. Reliquum modò est, amice Lector, ut quam tuo unicè bono proximo semestri insumpsimus operam tantisper boni consulas, dum secundis curis, quæ ut Græci ajunt, *sapientiores* (e) *esse solent*, limatius quidquam prodeat. Fruere interea nostris, Clarissimique Authoris laboribus, & vale.

AUGUSTÆ TREVIRORUM, pridie Idus Januariæ, MDCCLIV.

(a) Hor. de Arte. (b) Cic. l. 3. de Fin. (c) Hier. ad Juniam, & Fretellum. (d) in Epist. ad August. (e) *διωτερεῖν φροντίδες σοφωτέραι.*

TYPO.